Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26208
Copyright: Admont, Benediktinerstift

debent portare. ut ecclesiam a paganis protegant. et cle-
rum ad servitium dei expediant. Unde et illorum vestes sunt constricte.
quatenus expediti reddantur pugne. Sicut autem laicis non licet
clericale officium usurpare. ita non debent clericalem vestem por-
tare. Et sic clericis non licet nec contra paganos arma portare.
ita non debent laicas vestes portare. Cuculla mona-
chorum sumpta est a colobio apostolorum. Illorum vero tunica for-
mata ut dalmatica. Hae duae vestes formam crucis
praeferunt. quia monachi se viciis et concupiscentiis crucifixerunt.
has etiam sex. alae seraphym exprimunt. qui
proximi deo scribuntur. Duae quippe partes capitii scilicet duae alae quibus
caput velabant. duae vero partes cucullae in ante et retro. duae
alae sunt quibus corpus tegebant. duae autem manicae scilicet
duae alae quibus volabant. Alae seraphyn in capite fides
est et spes. in brachiis gemina dilectio. in corpore penitentia
et operatio. His si deum laudando imitantur. in gaudio ange-
lis associabuntur. Nigredo huius indumenti. est contemptus
mundi. longitudo vestis est perseverantia in bonis.

Monachorum vestis.

Abbati conceditur pastoralis virga. quia ei traditur dominici
gregis custodia. Quem debet baculo doctrinae sustentare.
et virga magisterii ad pascua vitae minare. Per ba-
culum quippe doctrina. per virgam accipitur disciplina.
Unde dicitur. Virga tua et b. t. i. c. sunt. Huius baculi flexu-
ra non ex albo. sed ex nigro osse debet esse. quia in commissa cura
non debet mundi gloriam quaerere. Summitas curvaturae de-
bet esse sperica. quia cuncta eius disciplina. debet esse deifica.
Vestis et conversatio monialium a sancta Maria sumpsit

Velum monialium.